



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,  
Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Quod amor obtinet, quæ juste petuntur à Deo, 18

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)



non improvida; prudens, non fatua: ita quod persona ametur, & culpa refutetur. Via magna, non modica; ita quod animam suam ponat quis pro amicis suis. Via constans, non momentanea, sicut tu Domine in fine ostendisti: quia cum dilexisti tuos, in fine dilexisti eos. Si quis igitur, Domine Iesu Christe, amator constantissime, ad patriam caelestem velit celeriter pervenire; per viam dilectionis & amoris ambulare debet. Quia qui amat ardentius, currit velocius, & pervenit citius. O misericordissime Domine Iesu Christe, qui ob nimium amorem, etiam non amantium misereris: iniqua & perversa atque falsa fuit dilectio mea. Quia non fuit cordialis, sed verbalis: non vera, sed ficta: meos amicos in suis sceleribus & peccatis defendi; & sic iniquos odio non habui. Amavi fortunam, & ea mutata, amorem mutavi. parce mihi, piissime Domine Iesu Christe, misericordissime amator, & veniam dare mihi dignare; & concede mihi misericorditer tantam ad te amandum gratiam, ut relicto vano amore tibi non placito, te super omnia amem, & diligam assidue; & sine alicujus temporis interpositione nec a tua dilectione separer, sed cum ea permaneam per infinita saeculorum saecula, Amen.

## CAPUT XVIII.

*Quod amor obtinet, qua juste petuntur à Deo.*

- I. **A**mor & dilectio, clementissime Domine Iesu Christe, qui es ipse amor postulata



postulata à te, prompte & facile obtinet. Quia illum, qui te veraciter diligit, libenter exaudis, & postulata ei concedis. Quia scriptum est: *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.* Tam exuberans est amor tuus, dulcissime Domine Iesu Christe, spiritualis amator, quod tu diligenti te, una cum spiritualibus bonis, bona etiam temporalia tribuis & concedis, sicut dictum est à te: *Si obeditis mandatis meis, ut diligatis Dominum Deum vestrum; & serviatis ei in toto corde vestro, anima & mente vestra: dabo pluviam temporaneam & serotinam, ut colligatis fructum vini & olei, & fœnum ex agris.* Ostendis etiam & extendis diligenti te misericordiam, sicut scriptum est: *Faciens misericordiam in millia millium iis, qui diligunt me.* Infundis etiam sapientiam tuam diligenti te, sicut scriptum est: *Vnus est altissimus, & sapientiam suam (id est, datum suum) præbet diligentibus se.* Tribuis etiam & liberaliter concedis diligenti te gaudium & lætitiâ, sicut scriptum est: *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus Deus tuus, oleo lætitiæ.*

2. Diligentes igitur te, Domine Iesu Christe, amantium remunerator largissime, exaudis, & eisdem multa bona impertiris. Sed non sic illis evenit, qui te non diligunt, nec diligere volunt. Non enim eos exaudis, sed potius te provocant ad iram, cum aliqua à te petunt. Quia cum indignus ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. O misericordissime Domine, quoties provocavi? Quia indignissimus & nefan-



nefandissimus peccator, multa à te petii, & nullo dignus eram: quia te non dilexi corde & opere, sed solum verbo & lingua. Quare non amore, sed odio dignus eram, pœna, & non gloria. Sed in tuo indicibili amore confido, piissime Domine Iesu Christe; te, fons inexhaustibilis amoris: quem à me obsecro non retrahas; sed illum mihi clementer concedas, quo inflammare digneris cor meum frigidum, ad amandum & diligendum te; ut sprete dilectione transitoria & caduca hujus miseræ vitæ, ad te elever per puram dilectionem in te manentem, per assiduam contemplationem, in sæcula sæculorum, Amen.

## CAPVT XIX.

*Quod amor Dei defendit & liberat à malis.*

I. **F**idelis & verus amicus es, (Domine Iesu Christe, amator vigilantissime) qui diligentes te custodis, liberas & defendis à malo & periculo; sicut ostendisti in seruo tuo Daniele, te toto corde diligente: qui coniectus in lacum leonum, illæsus te protegente fuit extractus, & penitus liberatus. unde dixit: *Recordatus es mei, Domine, & non dereliquisti me.* Liberas igitur Domine diligentem à malo, & à leonis infernalis insultu, & illæsum eripis ab eodem. Et quia sicut fidelissimus amicus liberas à malo, protegis & defendis, clamat Propheta in persona cuiuslibet te amantes: *Diligam te Domine firmitudo mea. Dominus firmamentum meum, & liberator meus; Deus meus adiutor, & sperabo in*